



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Ivrisdictione Ecclesiasticâ, & Iudiciis

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

§. 1. De obligationibus rei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61847](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61847)

§. I.

De Obligationibus rei.

I. Reus ad iudicium citatus per se vel per alium comparere debet, alias contumaciæ pœnis subiicitur. *Gaill. l. 1. obs. 48.* Dicitur autem contumax, proprie, qui evocatus tribus edictis, vel uno pro tribus comparere recusat. Triplex numeratur, vera, evidens & præsumpta. Vera cōtumacia est, cum quis in facie citatus non cōparet: evidēs cum in faciem citatus testatur, se nolle comparere, vel nunquam compariturum, vel si mox à citatione appelleret. Præsumpta, quam aliqui dubiam vocant, est, quando citatus reus ad domum, non in faciem, vel per domesticos vel per vicinos, vel alio prætoris ad vas Curia non compareret, nec excusaret. Fit præterea aliis modis. Primo si citatus peremptoriè comparere nolit. Secundo si compareat quidem, sed absque licentia recedit ante causæ definitionem. Tertio, si nolit parere sententiæ latæ. *v. Ostiens. in Rubrica. de Contum. Resella. Tab. & al. summ.*

Pœna contumaciæ potissima (nam alias 23. enumerat *Maranta. Pag. 172.*) in eo consistit, quod contumax faciat iacturam litis, ita ut expensas omnes persolvere cogatur, eique denegetur appellatio. Denique cum notoria, & permanens contumacia apparet, usque ad sententiam definitivam procedere licet. Imò quando periculum, spirituale præsertim ex mora esset, absque litis contestatione examinari testes possunt,

& iudicium peragi. *Ostiens. l. cit. n. 6. Silv. v. Contumacia Lancel. l. 3. Instit. Tit. 6. Canonis. l. 4. Tit. 4. Gaill. l. 1. obs. 60.*

NOTA, Actorem quoque contumaciæ reum fieri, quando post ultimam citationem reo comparente non comparet: & tunc absolvi potest reus ab instantia iudicii actore in expensas condemnato. *Maran. p. 179.*

II. Reus legitimè interrogatus à suo Iudice tenetur etiam contra se veritatem dicere. Hæc est communior opinio DD. & supponitur in *c. Dilecti de appellationib.* Ratio manifesta est, quia Iudex habet potestatem interrogandi (secundum leges, & ordinem iuris) quæ potestas superflua & inanis est, si reus non tenetur respondere, & veritatem dicere.

Quid verò sit legitimè interrogari non eodem modo omnes explicant. Tria ad requiritur *s. Tho. 2. 2. d. 9. q. 67* Primum est, ut præcedat infamia. Secundo manifesta indicia ad sint Tertio, ut habeatur semiplena probatio, qualis fieri solet per unum testem iuratum & omni exceptione maiorem, cui si accedat formalis, vel virtualis accusatio, cuiusmodi est fama vel denunciatio aliqua, potest Iudex inchoare processum, examinare testes, & reum adigere ad propriam confessionem. *Navarr. c. 18. n. 57.* tunc iudicè seu legitimè interrogari dicit reum, quando Iudex competens est, & delictum plenè aut semiplenè probatum: denique si notificata reo sit eiusmodi probatio, ut sciat, in quo statu sit. *s. Tho. q. 69. art. 1. Bannez. & Arragon. ibidem. Gabr. in 4. d. 15.*

d. 15. q. 6. art. 2. *Maiores ibid.* q. 18. *Gomez.* 111. c. 12. n. 5. *Perez.* l. 8. *Prdm.* T. 4. l. 6. 1. d. 3. *Layman.* l. 3. tr. 6. c. 5. n. 1. *Lugo.* d. 40. 31 & alii multi ap. *Sanch.* l. 6. *Consil.* c. 3. *dist.* 9.

III. Si crimen morte vel mutilatione dignum sit, & sciat reus absque sua confessione plenè probari non posse, speretque evasionem, non tenetur fateri illud, quamvis legitime interrogetur. *Less.* c. 31. d. 3. n. 16. *Marchant.* in *Resol.* *past.* c. 8. Contrarium multi sequuntur: quibus opponitur *Primo*, Lex positiva & humana sub periculo vitæ amittendæ non obligat, ut communiter Theologi docent S. Th. q. 96. ar. 6. *Caiet. Contr. M. d. Sotus apud Salas de leg.* Disp. 11. Sect. 4. n. 35. *Secundò*, denunciare, aut prode re confanguineum suum nemo tenetur. l. 4. *Tit. de testib.* l. 5. C. eod. ergo multò minus scriptum. *Tertio* citatus à Iudice post plenam criminis probationem non tenetur compateri, sed potest fugere, vel occultare se pro conservanda vita, ergò similiter ob eundem finem celare poterit delictum, de quo interrogatur. Ita ex recentioribus *Card. Lugo disp.* 40. S. 1. *Bern. Diaz.* in *Pract.* c. 128. *Filiut.* Tr. 40. c. 9. *Bonacina.* Tom. 11. p. 328. *Less.* *Laym.* l. cit. *Spatbarius* in *Methodo.* Tract. 9. cap. 7.

Vnde sequitur à confessario non esse obligandum, vel urgendum reum, ut contra se crimen suum fateatur, quamdiu spes evadendi est, quæ nemini unquam defutura videtur. *Less.* lo. cit. n. 18. *Azor.* 111. d. 13. c. 25. *Lopez.* in *annot. Diaz.* ad c. 128. *Tanner.* 111. d. 4. q. 4. *Dub.* 5.

IV. Reus etiam legitime interroga-

tus, amphibologia, vel restrictione mentis celare veritatem potest in tribus casibus. *Primus* est, si id, de quo Iudex quærit, certò noverit reus absque mortali peccato factum esse, ut si occidisset in vasorem suum cum moderamine inculpatæ tutelæ, quamvis fama contraria esset. *Secundo*. Quando Iudex quærit, de circumstantiis quibusdam, ex quibus oriri possit vehemens suspicio reum esse criminis auctorem, cum tevera non sit: v. gr. an tali die, vel hora in tali loco fuerit, an hic se ipsius gladius, & similia. *Tertio* cum res exigui momenti est, non peccabit lethaliter celando veritatem, modo non præstiterit iuramentum, & quo interrogatur, non pertineat ad subitam tam causam. De modo æquivocandi, *V. Bannez.* q. 69 art. 2. & *Arragonum* *ibid.* circa fin.

V. Non tenetur reus fateri crimen suum, quando dubitat, an Iudex legitime interroget. *Caietan.* in 2. 2a. q. 69 art. 1. *Bannez.* *ibid.* *dub.* 2. *Less.* c. 31. d. 3. n. 10. *Laym.* l. 3. tr. 6. c. 4 n. 4. *Arragon.* q. cit. pag. 380. Nam *primo*, quando non constat subdito, prælatum habere auctoritatem obligandi, & mandatum ipsius legitimum esse, non tenetur obedire, cum gravi suo, vel alterius damno, ut diximus in *par.* 1. tit. 15. s. 7. *Secundo* in dubio melior est conditio possidentis: & reo favendum est in dubio, ut passim D. D. fatentur apud *Barb. in c. ex literis de probat.* *Menoch.* casu 98.

Eadem ratio testium est, qui dubitant, an Iudex legitime interroget, Neque enim tam grave onus absque gravi

gravi causa imponi debet, adeoque relaxandus est reus, quando post inquisitionem consuetam dubium remanet de ipsius delicto *Less. c. 30. dub. 6. Soto de secr. q. 8. tit. Clar. §. fin. q. 46. in Spatar. in methodo tr. 9. c. 10. Bara. de conj. dubia discept. 6. c. 2. §. 10.*

VI. Reus contra iustitiam non peccat, negando crimen obiectum, quod iudice probari nequit: imo dicere potest mentiri, & calumniari accusatorem. *Navarr. c. 18. n. 49. Silv. V. restitutio §. 3. q. 3. Em. Sa. v. recus. n. 1. Less. c. 3. i. d. 2. n. 6. Pe. Navar. l. 2. c. 4. n. 348. Tol. l. 1. c. 8. n. 4.*

Ratio ex *Glossa* sumitur in c. 2. *de calum.* Nam qui accusat quemquam de eo, quod probare nequit, calumniator esse praesumitur. Similiter DD. tradunt concessum esse cuilibet etiam extra iudicium, negare illa, quae ab aliis illicite manifestantur cum periculo infamiae, vel offensae. Quilibet enim ius habet dicta, & facta sua occultare regendi, quamdiu legitime non innotuerunt. *S. Thom. q. 69. art. 2. Less. l. cit. Laym. l. 3. tr. 6. c. 5.*

VIII. Iuramentum calumniae, quod actori praestandum esse. *tit. 111 §. 1. n. 10.* Diximus reus quoque praestare tenetur, & continet haec quinque. *Primo* putare se bonam causam tueri, *Secundo* interrogatam legitime veritatem dicturum esse, *Tertio* falsas probationes scienter non adhibiturum, *Quarto* se litem fraudulenter non prorogaturum, *Quinto* nihil a se promissum cuiquam, nec promissarum deinceps causam litis, nisi quod leges permittunt, Ma-

rantapar. 6. §. de iuram. Wesenbec. l. 7. cod. tit. 39. Tholosanus l. 48. c. 8. ubi addit omnes omnino cuiuscunqueexus, aut status fuerint, ad iurandum de calumnia obligari. *2 §. fin. autem C. de iuram. pro cal. dando.* Clerici quoque in casu contra laicum, & ceterum *5. de iuram. cal.* Item universitas vel illius deconomus, aut syndicus. Denique tutores *di. lege 2. §. quod observari.* Remittitur tamen patrono, ab Ecclesia, cuius patronus est *Arnoldus Corvinus in Aphorism. l. 3. tit. 27.*

VIII. Reus mortem timens vel mutilationem ex carcere fugere potest tam ante, quam post sententiam latam: imo vincula rumpere, & carcerem effringere *Coton. in summa Diana V. reg. cap. n. 6.* Ratio quia humanae leges tam difficiles & graves, eiusmodi est in carcere manere, non censetur obligare conscientias cum periculo vitae amittendae quemadmodum *n. 3. probatum* est. Accedit omnium gentium consensus & consensus, qui culpam magistratui, & custodibus potius, quam reis tribuunt. Viderint iudices, quomodo eos suos astringant, & custodum negligentiam puniant.

De carcerum effractione non omnes concedunt licitam esse, ut *Silv. & Covar. l. 1. var. c. 2. Comit. l. 4. q. 15.* quibus considerandum est permissio sine, media quoque ad illum necessaria permitti. Cum ergo fugere liceat eo, etiam aperire carcerem & effringere licebit. Neque obstat, quod carcerem effracto- res poena capitali afficiuntur, quemadmodum ex quatuor legibus *Covarruvius probat. l. cit. num. 14.* quia vel

istæ leges præscriptione nituntur, vel contrariam opinionem legislator secutus est, vel expedire reip. censuit graviter punire effractoies, ne quilibet potestati publicæ illudere audeat. Merito igitur gravi pœna afficiuntur, quamvis contra conscientiam suam non delinquant. *Clarus §. fin q. 21. Decianus l. 2. Navarr. c. 17. n. 102. Tanner. III. d. 4. q. 4. 5. Tuschus dub. V. carcerati. concl. 88. c. 13.*

Limita, ut carcerum effractio & fuga non sit licita regularibus, qui se per professionem religiosam privârunt libertate sua, promittentes in omnibus quæ iuste imperantur, obediens fore. Quemadmodum igitur alias pœnas, ita carceris inclusionem patienter sustinere debent. *Caiet. q. 69. art. 4. Navar. in c. statumus n. 63. Salzedo in pract. crim. Diaz. c. 1. 7. Armilla V. accusatio n. 19. Sanchez. l. 6. conf. 4. dub. 11. Spatharius in Methodo tract. 9. c. 17. Bannez de iustis. q. 69. art. 4. ubi excipiendum censet, si religiosus condemnatus sit ad perpetuum carcerem, vel ad durißimam pœnam. Tunc enim pro remedio fugere poterit ad superiorem Prælatum, vel summum Pontificem.*

IX. De damno illato per effractionem carceris, & vinculorum plerique sentiunt, à reis compensandum esse magistratui, cum quibus ergo, non pugnabo, sed teneri ad reparationem damni existimo effractoies, quia ratio, & iustitia id postulare videtur. Praxis tamen, ut observavit *Less. dub. 5.* in contrarium est, fortè, quia communi quodam sentu culpa ipsius iudicibus, & custodibus potius, quam reis imputatur. *V. Valent. Disp. 5, quasi. 13;*

pun. 4. Tolet. l. 5. c. 6. n. 7. qui citat Caietanus & Soto docentes compensationem damnorum necessario faciendam esse. Sed pone, effractoies, nunquid ad compensationem damni Caius obligatur? Non obligari cenleo, quia iure suo usus est.

V. Escobar. examine 6. c. 6. num. 64. Illud magis controversitur, an reo cui fugere, & infringere carcerem licet, alii consulere possint ut faciat, & instrumenta suppeditare. Censeo posse eos, qui non sunt ministri, officiales, aut lege aliqua particulari prohibiti. *Ratio* quod licitum est alteri, facere, mihi licet consulere cum nihil obstat. Cum enim supponatur infra-ctio honestas, in consilio eadem erit, *Sancti. l. 6. conf. 4. dub. 10.* Nec ulla ratio excogitari potest, cur non similiter liceat instrumenta portigere ad effringendum carcerem: cum ipsi consilium, & suasio spirituale quoddam instrumentum sit. Neque consequitur inde, si instrumenta portigere licet, etiam posse effringere licebit. Solus enim reus in magna necessitate, & periculo versatur, magnaque perturbatio metuenda, si alii iidem faciant. *V. Cardinal. Lugo disp. 40. s. 4. num. 56.*

X. Ex dictis sequitur Primo reum pecunia oblata posse custodem benevolentiam emere, vel cibo, vel potu, satiare, ut viam sibi muniat ad fugiendum ex carcere. *Ratio*, quia media alias licita ad bonum, & honestum finem adhibere possumus. *Dixi benevolentiam emi posse. Nam eo*

fine pecuniam offerre, vel cibo & potu dementare, ut carcerem aperiant, & elabi sinant, nullo modo licitum est, quia directè in malum finem tendit. *Az. tit. 13. c. 24. Filliut. Tr. 40. c. 9. q. 9.*

Secundo, cum qui damnatus est ad perpetuam carcerem (qua pœna Ecclesiasticus Magistratus prælaico uti solet, quemadmodum *Menochius l. 1. q. 89. & Piasec. notat in Par. 2. c. 4. nu. 89.*) aperire illum quocunque modo, & fugere posse, similiter eum, qui ad trimes damnatus est, quia hæc pœna durissima omnibus, clericis verò maxime ignominiosa est. At quibus exigui temporis carcer iniungitur, vel qui ad servendum infirmis ad tempus ablegantur, de patientia, & merito cumulando potius, quam de fuga solliciti esse debent, omnibus verò curandum, & cavendum, ne ex facto suo scandalum aliquod vel gravis in rep. perturbatio oriatur. *V. s. Tho. q. 69. art. 4. Sanchez l. 6. Consil. c. 4. Dub. 18. Lugo lo. cit. Filliut. lo. cit. n. 276.*

De carcerum custodibus, seu Commentariensisibus *V. Damhaud, Pract. crim. c. 17. & 18.*

§. 2.

Satisfit Dubio.

DVb. 1. An reus in conscientia obligetur per sententiam iudicis iniquam quidem, sed secundum ordinem iuris laram.

R. Non obligari, quia sententiæ finis esse debet, vel unicuique tribuatur, quod suum est, Hoc autem minime

fit per sententiam iniquam, sed contrarium potius. Ac proinde condemnatus ad certam pecuniæ summam nihil in conscientia dare tenetur, nec cedere bonis, quorum privatio in sententia decernitur. Illi quoque quibus sententiæ iniquitas nota est, nihil ex eiusmodi bonis capere possunt.

Cæterum iniqua sententia censetur, quæ vel falsa præsumptione, vel falsis probationibus nititur. Excipiunt aliqui beneficia, & officia, quorum aliquod si ceptum reo per iniquam sententiam tibi collatum fuerit, retinere potes, quia iudex, & magistratus censetur absolute auferre illud, condemnato propter multa incommoda, quæ ex contratio sequuntur, ut latius explicat *Lesb. c. 31. Dub. 4. allegans Innoc. in c. Quia plerique. De immun. Eccles. Panorm. in c. 1. de concess. prab. & Gloss. ibid.*

Dub. 2. An reus defensionibus suis renunciare queat.

Communis DD sensus est, imo totius mundi, teste *Iulio Claro q. 48. num. 13* reo etiam delictum confessio defensionem concedendam esse, aded ut nulli magistratui contrarium liceat præsertim in criminalibus, Nam reus quantumlibet confessus sæpè pro innocentia sua poterit adferre, quæ præsumunt, quemadmodum pluribus declarat *Clarus l. cit.* Imo dicere Iurisperiti solent, ne diabolo quidem, si in iudicio steter, denegari posse defensionem. *Davalos in Directorio Par. 2. c. 19. n. 13.*

Difficulus est, An defensioni sibi debitæ reus possit renunciare